

DE INSTITUTIONE ACOLYTHORUM

Prænotanda

1. Institutio Acolythorum fit ab Episcopo aut a Superiore maiore clericalis Instituti religiosi, intra Missam.
2. Lectiones sumuntur, sive ex toto sive ex parte, e liturgia diei vel ex iis quæ infra, pp. 33-35, proponuntur.

De institutione Acolythorum

3. Dicto Evangelio, Episcopus in sede parata sedet cum mitra. Diaconus vel presbyter ad hoc deputatus candidatos vocat, dicens:

Accédant qui instituendi sunt in ministério Acolythórum.

Candidati nominatim vocantur. Singuli autem respondent:

Adsum.

Et ad Episcopum accedunt, cui reverentiam faciunt.

4. Tunc, omnibus sedentibus, Episcopus homiliam habet, quam his vel similibus verbis concludit, candidatos ipsos alloquens:

Fíli caríssimi,

Ad ministérium Acolythórum elécti, peculiári modo partem habébitis in ministério Ecclésiæ, cuius vitæ culmen et fons est Eucharístia, qua pópulus Dei ædificátur et crescit. Vobis enim commíttitur ut presbýteris ac diáconis, in ipsórum múnere exsequéndo, sitis adiutório, ac sacram Communióne fidélibus, étiam infírmis, ut minístri extraordinárii, distribuátis. Huic ministério peculiári modo destináti, curétis ex domínico sacrificio impénsius vívere eíque perféctius conformári: eórum autem quæ ágitis íntimum ac spiritálem sensum percípere studeátis, ita ut cotídie vos offerátis. Deo in spiritáles oblatiónes ipsi acceptábiles per Iesum Christum.

Hæc faciéntes, meminísse iuvábit vos, sicut de uno pane cum vestris frátribus participétis, unum cum ipsis corpus

effícere. Corpus ergo Christi mýstikum seu pópulum Dei, præsertim vero débiles et infirmos, sincéro amóre prosequámini et Dómini mandáto conformémmini, quod in cena novíssima suis dedit Apóstolis: „Diligite altérutrum, sicut et ego diléxi vos“.

5. Homilia expleta, omnes surgunt. Episcopus, sine mitra, fideles ad orandum invitat, dicens:

**Deum Patrem, fratres caríssimi,
suplíciter deprecémur,
ut, quos ad ministérium Acolythórum elégit,
sua benedictióne replére dignétur,
et ad fidéliter ministrándum in Ecclesia sua confírmnet.**

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

6. Deinde Episcopus prosequitur:

**Clementíssime Deus,
qui per Unigénitum Fílium tuum
panem vitæ Ecclésiæ tuæ commisisti,
benedícere † dignéris hos fratres nostros
ad ministérium Acolythórum eléctos,
et præsta, ut sanctis altáribus sint assídui,
panem vitæ frátribus suis fidéliter distríbuant,
ac fide et caritáte iúgiter crescant
in ædificatióne Ecclésiæ tuæ.
Per Christum Dominum nostrum.**

Resp.

Amen.

7. Singuli candidati ad Episcopum accedunt, qui illis tradit vasculum cum pane vel cum vino consecrando, dicens:

**Accipe vásculum cum pane (et vino)
pro celebratióne Eucharístiæ,
et talis esto
ut mensæ Dómini et Ecclésiæ,
digne váleas servíre.**

Acolythus respondet:

Amen.

8. Acolythy vel, si plures sunt, aliqui ex ipsis, in præparatione donorum offerunt patens cum pane et calicem cum vino.
9. Acolythy communionem recipiunt statim post diaconos.
10. Episcopus mandare potest ut Acolythus, qui factus est minister extraordinarius Eucharistiæ, auxilium præstet, in Missa institutionis, ad sacram Communionem fidelibus distribuendam.